

Die (14 agosto), loco, testibus et examinatore predictis. Dictus Cre-stolus syndicus ut supra fuit confessus ipsum comune dare et soluere de-bere Nouaco Mathey ducatos octuaginta in monetis et hoc pro residuo et complemento illorum C ducatorum in auro, quos dictus Nouacus mutuauit ser Marino Desse massario communis, pro ipso comuni recipienti pro blaua quam Johannes Siluestri tunc syndicus communis emit in Apulea pro dicto comuni, quos octuaginta ducatos dictus syndicus, nomine dicti communis, promisit dare et soluere eidem Nouaco ad omnem suam petitionem etc.

XXIX

1359, 4 novembre.

IV, III 48/60 v.

In dei nomine amen. Anno a natuitate eiusdem millessimo trecentessimo quinquagessimo nono, inductione XII. Regnante domino nostro domino Lodouico dei gratia serenissimo rege Hungarie, temporibus reuerendi patris domini Hugolini archiepiscopi Spalatensis, magnifici et potentis uiri domini Nicolay de Seçce totius Dalmacie et Croacie bani generalis comitis, ac nobilium uirorum dominorum Duimi Bertani, Francisci Damiani et Crestoli Petri Papalis, iudicium ciuitatis Spaleti.

(cc. 56/68): Die quarto nouembris. Cum dominus Volcoius Andree canonicus Spalatensis habuerit in saluum a domino Petro de Catara, factore tunc reuerendi patris domini Bartholomei dei gratia archiepiscopi Barensis, staria C et LXIII et dimidium ordei, risico et fortuna ipsius domini Petri ex corosione murium, uermium et subtilis mensurationis, nunc tamen Seuerus Boeçci de Neapoli seruitor et procurator supradicti domini archiepiscopi Barensis, habens ad infrascripta plenum et speciale mandatum ab ipso suo domino archiepiscopo, ut patet per licteras patentes ipsius domini archiepiscopi eius sigilli pontificalis impressione munitas, a me notario infrascripto uisas et lectas, procuratorio nomine quo supra, fuit uere confessus et contentus habuisse et recepisse a predicto domino Volcoio, staria centum et quadraginta duo ordei non corosi et staria XIII ordei a muribus corosi et hoc pro tota quantitate dictorum C et LXIII stariorum et dimidii, nam propter corosionem uermium et murium atque subtilis mensurationis defecerunt staria VIII et dimidium, de quibus C et LXIII stariis et dimidio pro tota integra summa dicti ordei depositi, predictus Seuerus procurator, procuratorio nomine quo supra, fecit eidem domino Volcoio finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius aliquid non petendo, uolens quod omnis scriptura si qua appareret de deposito dicti ordei sit cassa, uana et cancellata et nullius ularoris, promic-